

quælibet pars habet existentiam actu distinctam ab alia. Quod si solum habet illud compositum, et illæ partes unam existentiam in actu, et plures in potentia hoc est quod nos dicimus, quod unica existentia actu sufficit pro toto composito, licet virtualiter sint plures, quia potest compositum dividi in plura quorum quodlibet sit seorsum totum, et individuum: non ergo oportet partiales existentias seorsum distinctas ponere in toto, sed sufficit unicam ponere pro omnibus partibus, quia existentia est terminus quo res ponitur in facto esse extra causas: unde correspondet ipsi fieri, seu actioni: et sicut totum compositum, et suppositum proprie fit, ut quod, et unica actione ponitur extra causas, ita habet unicum factum esse, seu unicam existentiam, quæ constituit rem in facto esse. Nec obstat quod aliquando concurrunt plures actiones ad unum totum faciendum saltem inadæquatæ, et sic etiam possunt inadæquatæ, et incompletas existentias ponere. Contra enim est, quia si sunt plures actiones habentes terminum factum ut quod, non possunt concurrere ad eundem terminum, faciendo partes, ut partes, et dando partiales existentias, sed producendo totum sub diverso statu, aut perfectione, sicut prius producit embryo, deinde animal perfectum. Si vero sint plures actiones respicientes diversos terminos partiales ut quo, tales bene possunt dari, sed terminus ut quo, non recipit existentiam, sed est ratio recipiendi eam, quæ convenit toti ut quod, et sic sufficit quod mediate illam habent.

XVII. Alterum principium est quia existentia cum sit actus communissimus, id est, conveniens omni enti, ut posito extra causas, neque ad aliud deservit nisi ut ponat extra causas, non autem sit forma consti-

tuens aliquam naturam, vel speciem, consequenter de se nullam habet speciem, sed reducitur ad illam speciem, cujus est existentia. Omnis autem species in actu provenit ab aliqua forma: materia autem prima de se nullam habet speciem in actu, sed solum in potentia, cum sit in potentia ad omnes formas dantes speciem, forma enim est quæ dat speciem rei. Ergo si aliqua existentia immediate conveniret materiæ, illa non pertineret actu ad aliquam speciem, et tamen esset actus in se, ergo esset actus carens omni specie, ergo et omni limitatione, quia limitatio ad speciem pertinet. Quod si dicatur esse potentialem illam existentiam materiæ sicut et ipsa materia entitas potentialis est, contra est, quia existentia potentialis non potest ponere actu extra causas, quia sic actualis existentia esset. Ergo si solum est existentia potentialis non poterit reddere materiam actu existentem ante formam per quam redditur determinatæ, et limitatæ speciei, et consequenter determinate, et limitate datum effectum formalem.

AN ALIQUOD CORPUS IN IPSA CREATIONE FUERIT PRODUCTUM A DEO SINE ALIQUA INFORMITATE?

XVIII. Respondeo affirmative; nam cælum empyreum creatum est a Deo sine aliqua informitate, sed omnino perfectum. De hoc cælo non constat nobis per rationes naturales, quia non movetur, neque ejus locum videmus. Constat tamen per auctoritates sanctorum, præsertim Basilii, Strabi, Bedæ, et aliorum, estque id communiter receptum in Ecclesia, et apud auctores scholasticos. Habetque fundamentum in multis, quæ de hoc cælo, et cælesti civitate Hierusalem dicuntur Apoca-

lypsis XXI. Est enim hoc cælum destinatum gloriæ beatorum et contemplationi divinæ: non quia hæc indigeat loco materiali, sed quia decenter, et congruenter fit in aliquo loco, illumque oportuit esse perfectissimum, ut pote tantæ gloriæ destinatum. Perfectissimum autem corpus debuit esse in supremo loco mundi, quia corpora quanto sunt perfectiora, tanto sublimiorem locum postulant. Hoc ergo cælum debuit fieri per creationem, sicut cætera corpora cælestia, et elementa cum sit illis multo perfectius. Et quia magnitudine superat reliquos orbis, cum supra omnes sit, non possumus invenire in aliquo corpore inferiori sufficientem materiam, ut ex illa tam vastum corpus formari posset, nisi reliqua corpora consumendo, ideoque per creationem fieri oportuit. Et sic prima die factum est, in quo opus creationis ex nihilo terminatum est.

XIX. Quod autem sine ulla informitate creatum sit, sed in tota sua perfectione, constat, quia Scriptura non narrat ejus formationem, et ornatum, et tamen inter omnia corpora est pulcherrimum, et formalissimum, ergo oportuit ejus formationem fieri quando creatum est, si quidem postea non ponitur. Et congruit hoc naturæ illius corporis, quia non est subjectum motui, et tempori, sed supra omnem motum, et tempus, cum non moveatur, neque in se, neque ab alio cælo. Ergo conveniens fuit, quod ejus perfectio, et ornatus non daretur illi successive, et per motum, sicut aliis corporibus, sed in primo instanti totam suam perfectionem haberet; sicut etiam Angeli in tota sua perfectione creati sunt.

XX. Sed dices: Illud cælum est lucidissimum, dicitur enim empyreum quasi igneum; quo modo ergo illa lux cum sit tanta non videtur a

nobis: neque enim distantia id potest impedire, cum videamus stellas firmamenti, quæ sunt modica corpora respectu vastissimi illius cæli: nec etiam spissitudo cælorum inferiorum impedit trajectionem illius lucis, quia licet spissi, et solidi sint, sunt tamen valde clari, et diaphani, sicut patet, quod per orbis inferiores videmus firmamentum, et stellas illius, ergo a fortiori debebat videri illa lux cæli empyrei. Divus Thomas duas adhibet solutiones art. III ad IV. Prima est, quod cælum empyreum est corpus valde subtile: lux autem non videtur nisi in corpore condensato, sicut non videmus lucem in ipso aere, sed in sole, vel in aliquo corpore terminato, et ignis in sua sphaera non lucet propter suam raritatem. Sed quia hoc præsuppositum de subtilitate illius cæli, licet sit probabile, quia subtilitas est perfectio corporis, et ita convenire debet corpori perfectissimo, tamen quia non est usquequaque certum, eo quod reliqui cæli, licet sint perfectiores aere, et igne, non tamen sunt subtiles, sed solidi, et spissi, quia in ipsis terminatur noster visus tamquam in quædam crystallo, et de omnibus cælis absolute dicitur Job XXXVII: *Quod quasi ex ære solidissimi fusi sunt*, ubi includi videtur etiam cælum empyreum, et per hoc quod illa soliditas comparatur æri fuso, cujus soliditas spissa est, non subtilis; propter hoc adhibet D. Thomas secundam solutionem probabiliorem, quod lux illa cæli empyrei est sicut claritas gloriæ, quæ erit in corporibus beatis, et hæc non est conformis claritati naturali. Hoc est dicere, quod sicut claritas gloriæ occultari potest ex natura sua aspectibus nostris, sicut occultabat illam Christus quando volebat, ita etiam ex dispensatione Dei claritas illius cæli occultatur usque ad finem mundi, ut possit vicissitudo

noctis, et diei conservari, sine qua non posset mundus iste inferior regi. Post diem autem iudicii manifestabitur ejus gloria, et replebitur illa totum universum, tamquam cœlum novum, et terra nova, ut dicitur Apocalypsis XXI.

XXI. An vero hoc cœlum nunc influat aliquid in hæc inferiora, cum careat motu, respondetur secundum Div. Thomam art. III ad II, licet sit probabile quod hoc cœlum non influat in hæc inferiora quia totum quod est pertineret ad statum gloriæ: probabilius tamen est influere, sicut etiam Angeli, licet sint gloriosi, plura tamen influunt, et operantur in hoc mundo: ita cœlum illud licet non moveatur, influit tamen in corpora mobilia aliquid pertinens ad permanentiam, et virtutem conservandi, et continendi res inferiores, ut scilicet species rerum, et status iste duret: aut aliquas etiam occultas qualitates influere potest, quæ ad majorem dignitatem illius cœli pertineant.

TEMPUS FUIT CONCREATUM MATERIE INFORMI.

XXII. Supposito quod corpora sunt creata informia, et per aliquam durationem manebant in sua informitate, ita quod per veros, et naturales dies formabantur, et perficiebantur a Deo, oportet dicere quod tempus, seu duratio successiva istorum corporum cum ipsis incæpit, ita quod cum dicitur: *In principio creavit Deus*, id in principio idem est quod in principio temporis. Unde definitur in cap. Firmiter de summa Trinitate: « Quod Deus in initio temporis utramque condidit creaturam, spiritualem et corporalem, angelicam et mundanam. » Itaque illud primum instans creationis fuit principium temporis extrinsecum, quia

tempus cum sit res successiva non incipit in instanti intrinseco, sed immediate post, et secundum hoc etiam tunc fuit aliquis motus, vel in ipso cœlo, vel in alio corpore, quia tempus sine motu dari non potest, cum sit numerus motus secundum prius, et posterius. Sed hunc motum, et tempus Augustinus accipit secundum successionem conceptuum, et affectionum in mente angelica. Alii autem sancti probabilius id accipiunt secundum motum corporalem, quia illi dies fuerunt veri, et naturales, ut dicemus quæstione LXXIV.

XXIII. Ex his sequitur verum esse commune dictum, quod quatuor sunt cœva, id est, simul creata in eadem duratione, scilicet natura angelica, cœlum empyreum, materia corporalis informis informitate accidentali, id est, sine formositate, et ornatu; et denique tempus. Et nomine temporis etiam motus intelligitur, quia tempus est mensura motus et in se motus quidem est alios mensurans.

XXIV. Ultimo inquires, quomodo dicatur spiritum Domini delatum fuisse super aquas, quid sit ille spiritus, et illa delatio. Sed de hoc commodius dicetur infra quæstione LXXIV, ubi id tractatur a Div. Thoma, pertinet enim hoc ad circumstantiam quamdam illius informitatis non ad ejus substantiam.

QUÆSTIO LXVII.

DE OPERE DISTINCTIONIS SECUNDUM SE, QUÆ INCÆPIT PRIMA DIE.

TEXTUS.

*Dixitque Deus: Fiat lux, et facta est lux, et vidit Deus lucem, quod es-*

*set bona. Et divisit lucem a tenebris, appellavitque lucem diem, et tenebras noctem.*

NOTANDA CIRCA HANC QUÆSTIONEM.

I. Duo principaliter in hac quæstione tractat D. Thomas. Primum, circa naturam lucis quid sit. Deinde, de ipsa productione lucis, quomodo convenienter facta sit post informitatem tenebrarum. Circa naturam lucis duo excludit Div. Thomas a luce, et alterum affirmat. Excludit ab illa, quod sit entitas spiritualis, et quod sit substantia corporalis: affirmat autem quod sit qualitas quædam visibilis, et corporea.

II. Rationem spiritualitatis excludit Div. Thomas a luce, quia lux percipitur sensu visus, ut constat ipsa experientia, et propriissime nominamus lucem illam, quam oculis externis percipimus. Visus autem est sensus corporeus, nec dicitur de intellectu nisi æquivoce, ergo lux, quam percipit, et est ejus objectum, non potest esse aliquid spirituale. Quare sicut visus proprie dicitur sensus iste externus oculorum, non autem intellectus nisi metaphorice, ita lux proprie dicitur aliquid visibile corporale, non autem id quod spirituale est. Quia tamen officium lucis est manifestare, tractum est nomen lucis ad omnem manifestationem etiam spiritualem licet proprie, et directe significet manifestationem sensibilem, qualis fit in visu corporeo.

III. Ratio autem corporis, seu corporalis substantiæ excluditur a luce, tum quia est in eodem loco cum corpore diaphano, est enim lux intra diaphanum, videmus, enim quod transit per vitrum, vel crystallum, et tamen non dividit illud nec potest naturaliter penetrari cum illo, ergo lux non est corpus. Nec dici

potest quod est corpus carens quantitate; quia omne corpus petit quantitatem tamquam propriam passionem si sit corpus naturale, et quale experimur in omnibus aliis corporibus. Si autem sit corpus non naturale, sed alterius rationis, hoc sine fundamento dicitur, et sic rejicitur. Tum etiam quia lux in instanti diffunditur a luminoso, et in instanti desinit absente luminoso. Non apparet autem quomodo in unico instanti possit generari, aut corrumpi corpus tam late diffusum, quod unico instanti a cœlo usque ad terram extenditur.

IV. Quare lux est qualitas corporalis, et sensibilis habens esse reale et non solum intentionale, et non habet contrarium, dependetque in fieri, et conservari a luminoso: hæc omnia declarant naturam lucis. Dicitur qualitas, quia est forma efficiens subjectum, non forma substantialis, alioquin quando diffunditur per aerem, vel aliud diaphanum corrumpet formam aeris, vel essent duæ formæ substantiales in eadem materia. Neque est quantitas, alias vel divideret quantitatem diaphani, vel essent duæ quantitates penetratæ in eodem loco. Neque est relatio prædicamentalis, quia lux non est ad alterum, sed habet effectum absolutum in subjecto, non minus quam color, nempe reddere illud lucidum et visibile, ergo est qualitas. Habet esse reale, et non intentionale tantum. Esse reale dicitur; uno modo ut opponitur enti rationis, seu nihilo: et sic lux habet esse reale, quia habet effectus reales, et sensibiles, quia videtur realiter a visu. Alio modo dicitur reale, ut est idem quod ratum, et firmum, et sic opponitur rei non permanenti, sed transeunter duranti, aut intentionali modo se habenti quia non firmatur, neque habet radicem in subjecto, sicut colores transeunt per aerem ad ocu-